22.

Datis itaque unius anni pro appellationis suffragio induciis, Heinricus Affterdingk Austriam petiit, ibique a duce Austrie honorifice susceptus, explicans sibi causam itineris: qui literis commendatitiis ad magistrum Clinsorem recommendavit. Qui receptis literis consolatus per eundem, dixit secum repatriare: et cum hoc nimis diu protraheret, donec nocte, cujus mane illuxit dies diffinitioni prefixa, anxiatus Heinricus nimium, Clinsor in hac nocte Heinricum Afftirdingin secum in curiam cujusdam civis nomine Hellegrafin magicis prestigiis collocavit. Habitavit tunc idem magister Clinsor in partibus Ungarie in castro, quod septem castra vocatur. Hic fuit magnus philosophus, mathematicus, nigromanticus, et astronomus, et in scientiis et artibus liberalibus multum eruditus, divesque valde, ita quod trium millium marcarum argenti annuum habebat censum. Non post multos dies idem magister, sedens in area hospitis sui, in Ysenache, de vespere astra cum magna diligentia intuitus est. Tunc rogatus ab illis, qui aderant nobiles, propter magistrum, ut, si qua secreta perspexisset, cum videbant eum mirari et in astris laborare, diceret, respondit: noveritis, quod hac nocte nascitur regi Ungarie filia, que erit sancta, tradeturque hujus

quem tatirius (?)

h° — protrah.

v. f. 124.